

JACOBUS ROTTENBURGER sive *Rottenberger*, juris utriusque doctor, die dominico post festum corporis Christi f. d. XXIII Junii an. MDXXXVIII designabatur Cancellarius & consiliarius, quo eodem anno die nativitatis Christi in locum *Ludovici ab Eschenau*, aulæ magistri, successus est *Christophorus Landschadius a Steinach senior* & Dominus in Gündelsheim. Neque vero *Rottenbergerus* integrum triennium in dignitate, quæ ipsum illustrasse magis videtur, quam ab ipso ornata, permansit: sed eandem nescio an lubenti aut invito animo commutavit honore consilii honorarii, *Rath von Hauff aus*, quem per litteras principis tutoris d. VII Martii an. MDXXXI datas recepit annum, cum licentia alibi fortunarum sedem quærendi. Atque quamvis nihil nobis de eo innotuerit postea, nisi quod & isto honore se abdicaverit, conjicio tamen ipsum in hoc ducatu remansisse, atque *Tabernis montanis* posteros reliquisse; ex quibus post viginti annos in indicem discipulorum & alumnorum *Hornbacensis* scholæ relatos legimus *Ludovicum Rottenberger*, & *Jonam Rottenberger*.

† †

Post *Rottenbergerum* nemini statim Cancellarii dignitas collata est, sed cancellariæ præfecturam aliquantum temporis administravit *Albertus de Kirckel*, homo magnæ tum auctoritatis, quippe qui jam an MDXXXIII exeunte ad regem *Ferdinandum Pragam* cum plena potestate ablegatus & confirmationem tutelæ *WOLFGANGI* principis impuberis d. XVII Dec. & investituram nomine principis sui & tutorum *ELISABETHÆ* ac *RUPERTI* die sequenti impetraverat. Is quidem ab an. MDXXXVII officium numerarii (*Kammerschreiber*) gesserat, nunc vero kal. Jul. an. MDXXXVIII renunciatus Secretarius (primarius) & cancellariæ director, *Secretarius vnd Canslei Verwalter*, hæc munera administravit usque

que in annum XXXXIII, quo corrector diœceseos Lichtenbergensis factus est. Tum vero exeunte Martio mense ex diœcesi Lichtenbergensi in aulam evocatus est *Jacobus Weidenkopffius ab Ockenheim*, qui Cancellarii dignitate ornaretur.

## VI.

**JOBUS WEIDENKOPF** ab **OCKENHEIM**, vir reipublicæ gerendæ peritia, integritate & auctoritate florentissimus, quondam secretarius (a), dein corrector diœceseos Lichtenbergensis & consiliarius (b), tandem d. XXVIII Martii amplissimum æque & gravissimum Cancellarii officium suscepit (c). Hac indutus persona eodem anno inter præcipuos auctores exstitit, qui celebratissimum illud pactum Marburgense d. III Oct. inter **WOLFGANGUM** principem Bipontinum, ejusque patrum adhuc tutorem **RUPERTUM** de portione terrarum Veldentinarum huic relinquenda, sub auspiciis Philippi, Landgraviæ Hassiæ, composuere (d). Atque idem Rupertus testamento an. CIOIOXXXI, cum ipsi nondum filius natus esset condito, non solum *Eschenavium* & *VVeidenkopffium* illius constituit excutores, sed etiam si habiturus esset ac relicturus filios tanquam tutores ac curatores **Wol-**

H

gango

- 
- (a) Die Lunæ post festum Juliani an. 1529. f. d. 12. Jul. *Weidenkopffius* & *Joannes Soderus de Tattenryet* renunciabantur, qui essent a secretis & ab epistolis, Secretarius und Cansleychreiber.
- (b) Triplici vice hanc præfecturam secundariam, quæ haud raro in unum vel plures annos mandari solebat, accepit, primum die pentecostes an. 1530, iterum anno sequenti, tum post mortem Ludovici ducis Dominica invocavit 1533. Identidem vero simul fuit a consiliis.
- (c) Testantibus literis tutorum, *Elisabethæ* & *Ruperti*, die Martis post Lætare datis.
- (d) Vide supra vitam *Schorrii* §. VII.